

irritum non possit revocari, consilio et consensu Jobagionum nostrorum praesentem sigilli nostri munimine jussimus confirmari; super addentes eisdem, quod nulla causa inter ipsos ad certamen duelli debet pervenire. Istis tamen Jobagionibus praesentibus: Julia Bano, filioque eiusdem altero Julia magistro Tavernicorum nostrorum, Nicolao de Zala, Opoi de Simig, Petro de Walkow, Georgio de Barana, Comitatus tenentibus, et aliis quam plurimis. Datum per manus Magistri File Nostri Notarii ab incarnatione Domini anno MCCXXXI.

Ex Collect. Kaprinaiana in 4. seu B. Tom. II. p. 7—8. — Fejér. Cod. Dipl. Reg. Hung. T. III. v. II. p. 237.

XLVI.

Anno 1232.

Colomanus, totius Slavoniae Dux, ab Andrea fratre in Regno suo Slavoniae armis petitus, Jobagyonibus castri Roicha (Rovišće?), ob eximiam ea occasione demonstratam fidem, terram Konjska regia potestate donat.

Colomanus, Dei gratia rex Ruthenorum et dux totius Slavoniae, omnibus scriptum inspecturis salutem ac omne bonum. Provida regum discretio tam circumspectam erga se semper per subiectos debet habere diligentiam, ut quanto quis de fidelibus famulatur, tanto propensius munificentiae suae donis remunerandus fore censeatur. Cognoscat igitur tam praesens universitas quam futura, quod quum Dragan, Draguech, filius ejus adolescens, jobagiones castri nostri de Roicha, nobis fidelem fructum, cum effusione sanguinum, eo tempore, quum frater noster dux Andreas, a quibusdam vesano ductus consilio, in regnum nostrum, videlicet Slavoniae, violenter irruisset, exhibuissent; in recompensationem tot et tantorum laudabilium meritorum et commendabilium tam ipsis, quam suis heredibus heredumque successoribus, quamdam terram, Konzka vocatam, in Comitatu de Roicha existentem, dedimus, contulimus et donavimus iure perpetuo possidendam; ipsisque praesentem paginam sigilli nostri munimine roborando, consensu et consilio omnium jobbagionum nostrorum simul habito et desiderato, Juliae bani videlicet; Juliae magistri Tavernicorum; Demetrii magistri dapiferorum; Nicolai Comititis de Zala; Opoy Comititis de Symigio; Petri Comititis de Wlkov, Georgii Comititis de Barana, dare consensimus ac concessimus. Datum per manus Farcasii, aulae regiae cancellarii, et Egrensis Praepositi. Anno ab incarnat. Dom. MCCXXXII.

Fejér. Codex Dipl. Regni Hungariae. T. III. vol. II. p. 286.